



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

§. 16. Papa Legatorum suorum facta damnat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

Sæculum IX. Hæc est Photii Epistola, in cuius fi-
A. C. 861. ne astute cavet, ne Romæ reciperentur,
 qui ipsum pro Patriarcha habere & I-
 gnatium abjicere detrectantes Romam
 ad exposcendum Papæ præsidium profi-
 ciscebantur.

§. XVI.

*Papa Legatorum suorum facta
 damnat.*

*Nic. ep. 10.
 p. 354.*

EX Epistolis Michaelis Imperatoris &
 Photii, multoque magis ex Actis Con-
 cilio Constantinopolitani Nicolaus Papa
 facile perspexit, Legatos mandatis suis
 omnino contraria egisse. Epistolam suam
 ad Imperatorem in priore Concilii par-
 te, quæ ad Ignatii causam spectabat, non
 fuisse lectam, nec Legatos alterum ipsius
 Epistolæ exemplar, ut eis erat impera-
 tum, protulisse. In secunda Concilii
 parte, ubi de Imaginibus actum, ali-
 quam suæ Epistolæ partem fuisse lectam,
 sed ita mutatam, ut vix aliqua de Ignat-
 io mentio appareret. Inde Pontifici
 pronum fuit conjicere, quam mala fide
 Græci ante adventum Legatorum suo-
 rum egissent, cum ista ipsis præsentibus
 gesta essent. Itaque ob Legatorum suo-
 rum socordiam admodum commotus,
 congregata universa Ecclesia Romana,
 præsentem Leone Imperatoris Legato, de-
 clara-

claravit, nunquam se misisse Legatos, qui in Depositionem Ignatii, & Promotionem Photii consentirent, nec se ipsum unquam consensisse, nec in unum vel alterum consensurum.

Sæculum IX.
A. C. 861.

Ep. 13. p. 382

§. XVII.

Joannes Archiepiscopus Ravennas ad Officium compellitur.

Eodem anno octingentesimo sexagesimo primo Nicolaus Papa Romæ Concilium celebravit, in causa Joannis Archiepiscopi Ravennatis, quem permulti ex illa civitate apud ipsum accusaverant. Is, sæpe per literas admonitus, pejor fiebat; nam Romam proficisci volentes avertibat, alios viros innocentes excommunicabat, privatorum Bona sine legali Judicio occupabat, Ecclesiæ Romanæ prædia auferebat, suppressis titulis, & suæ tribuebat, Legatos Pontificios spernebat, Presbyteros & Diaconos non solum ex suis Clericis, sed etiam Sacræ Sedi subjectos, & in Provincia Æmiliانا residentes, sine Judicio Canonico deponebat, quosdam carceri & antris terrimis mancipabat. Idem alios ad confitendum datis literis crimina, quæ non admiserant, adigebat, a Summo Pontifice vocatus negabat, teneri se ad Synodum Romam pergere, & tandem chartas,

Anast. in Nic.
p. 255.